DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ENTERITIDE.

GEORGIO HAY AUCTORE.

PROŒMIUM.

Nullus est omnium morborum quibus humanum corpus obnoxium existit, qui auxilium medicinæ adeo enixe postulat ac Enteritis; de qua nunc mihi in animo est disserere.

Inflammatio Intestinorum, sive Enteritis, semper morbus acutus et periculosus est, cursumque multo minore spatio temporis quam ullus morbus fere peragit, cui medicus in exercitatione quotidiana artis ejus ministrare vocetur. Nullam patitur

moram, et hinc necessitas ea consilia aggrediendi statim, quorum ope possumus sperare ut ægri dolores mitigentur, et symptomata ea quæ maxime urgent, et quæ breviter desinerent in vix evitabilem mortem, tollantur.

Enteritis vere præsertim, vel autumnali tempore occurrit, et morbus est qui homines provectæ ætatis potius quam adolescentiæ primæ corripiat. Ignavi otiosique, quoque ardentibus liquoribus dediti homines, qui vitam luxuriosam, inertem, sedentariamque duxerunt, sæpius hoc morbo afficiuntur.

DE DEFINITIONE.

A Culleno, celeberrimo illo medico et nosologo, ad classem Pyrexiarum, et ordinem Phlegmasiarum refertur, et verbis sequentibus definitur:

" Pyrexia typhodes; dolor abdominis pungens,
" tendens, circa umbilicum torquens; vomitus;
" alvus pertinaciter adstricta."

In duas species plerumque a nosologis dividitur,

videlicet, in Enteritidem Phlegmonodæam et Erythematicam.

Hæc in tunica nervosa canalis intestinalis, vel in peritonæo quod viscera cingit, sedem tenet, et ita definit CULLENUS :

" Phlegmonodæa, dolore acuto, pyrexia vehe-
" menti, vomitu, et alvo adstricta."

Illa semper in tunica villosa, vel in tela cellulosa sita est, et sic definitur :

" Enteritis Erythematica, dolore et pyrexia le-
" nioribus, sine vomitu, et cum diarrhœa."

De priore quarum tantummodo in hac dissertatione disserere statui.

Morbus diversas intestinorum partes, sed frequentius intestina tenuia occupat, dolore super totum abdomen extendente, sed in regione umbilicali torquente ; cum nausea, ructu, et sæpe materiæ biliosæ vomitu stipatur ; alvus pertinaciter adstricta ; sitis, calor auctus, et magna anxietas adsunt, cum arteriarum pulsu accelerato, duro et exili.

Enteritidis terminationes, pariter ac in aliis inflammationibus, variæ sunt, tam ex violentia, quam

diuturnitate morbi ; nimirum, in resolutionem, suppurationem, ulcerationem vel in gangrænam desinit ; sed per resolutionem vel gangrænam longe frequentius finitur.

DE SIGNIS.

ENTERITIS doloribus acutis et perpetuis abdominis, cum pyrexia, alvo pertinaciter adstricta, nausea, vomitu ructuque sese manifestat ; sed nonnunquam frigoris et horroris sensu, vel molestiæ, in quavis abdominis parte, incipit. Dolor super totum abdomen extendit, sed in regione umbilicali maxime torquet. Dolor, quamcunque ventris partem infestat, respiratione plena, vel tussi, vel compressione plurimum intenditur. Abdomen totum tumescit, et musculi sæpe in duras contractiones convelluntur. Pulsus frequens, durus et exilis est ; cutis arida et aspera ; calor auctus ; os et fauces siccæ ; lingua sicca, arida, alba, et sordida crusta tecta ; cupiditas cibi vel imminuta vel nulla adest ; sitis intemperata ; urina

rubra, parca, et cum difficultate reddenda; secretiones et excretiones omnes maxime reprimuntur; vires totius corporis plurimum franguntur; respiratio accelerata, difficilis, et cum dolore trahitur; vultus anxietatem summam præstat.

Symptomata omnia morbi progressu ingravescunt. Lingua crusta magis sordida et fusca contegitur. Vomitus ingens et perpetuus ægrum vexat, quo materia nigra et biliosa. In quibusdam exemplis, nixibus vehementibus coli valvula erumpitur, et materia stercorea ore ejicitur. Dolor fere intolerabilis fit, et viscera spasmis acutis ad lumbos usque tendentibus excruciata sunt; compressione manus summo dolore afficiuntur. Urina ægre et cum dolore distillat; alvus vehementer supprimitur; si immittantur enemata, sine mutatione mox redduntur. Nonnunquam vero ad alvum evacuandam nixus inanes subinde occurrunt, quibus aquosas dejectiones, solito odore et aspectu stercoris carentes, excernuntur. Si remissio nulla obtinetur, et morbus cunctis nostris conatibus ad resolutionem moliendam obsistat, pervigilio et dolore perpetuo æger molestus deli-

rat et mussitat; sudores gelidi super totum corpus erumpunt; spiritus laboriosus, interruptus, et cum dolore reciprocatur; motus convulsivi sæpe apparent, quibus subito singultus, tendinum subsultus accedunt, et mors breviter finem morbo, doloribusque ægri imponit.

DE CAUSIS.

Causæ quæ Enteritidem pluribus in exemplis excitant, sunt quæcunque alvum tardent; quædam irritantia ingesta, et purgantia acria; frigus quoque pedibus vel abdomini ipsi subito admotum, vel aqua frigida in ventriculum recepta, corpore jam exercitatione calente; injuriæ externæ abdomini illatæ; stercoris concretiones in variis intestinorum partibus; liquores omnes meraciores; venena. Vermes in intestinis erodentes nonnunquam hanc accendere pollent.

Inter causas excitantes Enteritidis, Colica, Intussusceptio, Hernia, in intestinis concreta, scirrhus cujusvis intestinorum partis, intestina vulne-

rata, substantiæ adventitiæ in intestina receptæ, Syphilis, Rheumatismus quoque, et Podagra, a medicis auctoribus sæpe recensentur.

DE DIAGNOSI.

Vix sunt ulli morbi quibus confundi potest Enteritis; sed Gastritis, Hepatitis, Colica, Peritonitis, et musculorum abdominis Rheumatismus, nonnunquam speciem Enteritidis præbent.

A Gastritide, delirio, singultu, vomitu ingente, statu irritabili ventriculi, quæ hoc morbo laborantes urgent, facillime distinguitur; dolor urens, rubor erysipelatosus in faucibus, et sedes doloris Gastritidem designant.

Hepatitidi absimilis est, eo, quod laborantes hepatis inflammatione dolorem ad humerum dextrum, non ad umbilicum tendentem sentiunt; dyspnoea, tussis sicca, singultus, tunicæ conjunctivæ flavedo, in latus sinistrum decubitusque difficilis, morbos a se invicem duos satis discernunt.

Colica, absente febre, dolore non perpetuo, sed

in paroxysmis accenso, discernenda est; dolor quoque compressione et inclinatione antrorsum corporis plurimum levatur; pulsus tardus, plenus et mollis, umbilici retractio, hunc morbum inter et Enteritidem discrimen interponunt.

Peritonitis, dolore erecto corpore plurimum augendo, et alvo non adeo adstricta dignoscitur; sed diagnosis haud multum confert inter hanc et enteriticam inflammationem, nam hic morbus haud raro cum Enteritide simul existit, et eadem medendi consilia postulat.

In Rheumatismo musculorum abdominis alvus non adstricta, sed facile catharticis solvenda est; ventriculum non vomitus urget, et morbus vix potest cum Enteritide confundi.

DE PROGNOSI.

Enteritidis prognosis non plerumque infausta est, sed caute proferri oportet. Nunquam enim periculo haud exiguo caret morbus; et nonnunquam in paucis horis in gangrænam ruit. Quippe

intestina tenuia laborant, et quo propius ventriculo adest, eo magis metuendus est morbus. Quum alvus valde pertinaciter adstricta est, et materiæ stercoraceæ vomitus occurrit, infelix præsagium edicere oportet. Si autem vires ægri neque prioribus morbis, neque intemperantia imminutæ fuerunt, et signa neque gravia sunt, neque diu perstant, et remediis adhibitis cedunt; si pulsus sanguine misso tardior, mollior vegetiorque evadit, et cutis leni diaphoresi madet, alvus facile soluta, et urina libere profluens; si dolores gradatim desinunt, et vultus species ut in sanitate est; denique resolutionem et terminationem benignam sperare licebit.

Sed quum morbus ad diem decimum, vel ultra perstiterit, et remediis omnibus obsistit, terminatio in suppurationem metuenda est, et prognosis maxime infausta evadit. Si dolor acutus, obtusior fit, et pulsus arteriarum mollior et tardior evenit, cum sensu in abdomine ponderis, et horroribus artuum, vultu pallido, et sudoribus glutinosis, copiosisque gelidis, minime dubitare possumus, quin pus sit formatum; quod ubi accidit, signum infaustum semper

habendum est ; nam pus vel in intestina descendit, et in diarrhœam purulentam degenerat, et hecticam immedicabilem sæpe inducit, sed nonnunquam per anum ejicitur, et post tempus aliquod, ulcere sanato, ad sanitatem æger redit ; vel in cavitatem profunditur abdominis, ascitemque purulentum arcessit, quo æger infelix obruitur, et mors cito pede subsequitur.

In gangrænam sæpius quam in suppurationem morbus terminatur ; et hunc finem adesse judicamus, quum dolores subito et omnino recedunt ; facies mutata, pallida et collapsa fit ; artus frigidi ; vires totius corporis plurimum fractæ ; pulsus arteriarum intermittentes, abnormes et debiles sunt oculi fixi, et totum corpus sudoribus gelidis et glutinosis imbuitur. Fæces et urina ægro inscio redduntur, præsagium infelicissimum est, cui singultus, tendinum subsultus, et mors denique superveniunt.

DE SECTIONE CADAVERUM.

In cadaverum sectionibus hoc morbo extinctorum, abdominis viscera varias præbent species morbidas, tum ex violentia et diuturnitate inflammationis, cum ex eventu qui morbo acciderit. Vasa tunicæ externæ et musculosæ turgida et multo sanguine referta esse invenimus, vel intestini tota pars affecti vasis sanguine distentis rubet, vel plurimæ maculæ rubræ lividæque ex sanguinis effusione hic illicve apparent. Post inflammationem vehementem, lympham coagulabilem effundi, magnas adhæsiones partis affectæ vicinis visceribus formatas abdomine patefacto nonnunquam ostendimus. Stercore indurato aëreque sæpe implentur intestina. Inflammationem quoque hanc illamve partem, sed multo frequentius intestina tenuia occupavisse videmus. Hinc regionem umbilicalem potiusquam aliam partem dolores infestant. Quum morbus per gangrænam finitus sit, partes lividas nigrasque affectas esse invenimus, et inter digitos pressu facillime lacerandas. Quum

morbus diu perstiterit, formationem puris et ulcerationem accidisse apparet; sed hæc species longe frequentius post erythematicam quam phlegmonodæam inflammationem, vel saltem quum species ambæ uno tempori adsint, occurrit.

DE CURATIONE.

Summum consilium in hujus morbi curatione est inflammationem quamprimum superare, atque ita cohibere, ut neque in gangrænam, neque in suppurationem abeat. Omnia igitur remedia quæ resolutionem juvant administranda sunt. Ad hoc consilium efficiendum, venæsectio, ut in omnibus inflammatoriis morbis, plurimum et haud immerito laudatur, et remedium est ad quod ex primo tempore morbi confugere oportet. Sanguis ex brachio in pleno rivo detrahitur; et detractio repetenda est, prout ætas viresque ægri et vis morbi postulent. Sed multo melius est copiam magnam initio detrahere, quam venæsectiones cre-

bro instituere et quantitates minores educere. Neque pulsus debilis eam prohibere debet; nam actionem generis sanguiferi pleniorem et validiorem missio in hoc morbo sanguinis reddit; et quo magis vires deficere, actioque arteriarum minui videtur, eo magis ad hoc remedium confugere opus est. Sed non solum oportet sanguinis missionem generalem usurpare, sed etiam hirudinibus multis parti dolenti abdominis admovendis, quibus effectum venæsectionis plurimum adjuvamus; sed hirudines non adeo valent ut his solis liceat confidere. Post sanguinis detractionem, in balneum calidum ægri descensus, vel pannus laneus ex aqua calida expressus, abdominique assidue applicatus, nonnunquam multum prodesse videntur; sed de usu balnei calidi hoc tempore morbi multum inter sese discrepant medici, et nunquam nisi postquam inflammatio sanguinis missione et catharticis remediis debellata esset, ægrum in balneum mediocriter calidum descendere suadent.

Vesicatoria vehementer laudantur, et plurimum interdum prosunt. Emplastrum amplum, inflammatione, missione sanguinis et aliis adhibitis reme-

diis, subacta, doloris sedi moveri debet ; et cum beneficio haud parvo pluribus in exemplis usurpatur, nam arteriarum actionem cohibet, et ab interna parte ad superficiem educit; dolores, spasmosque solvit, et actione catharticorum alvum faciliorem ducendam reddit. Quod si alterum ex his non sufficeret, alterum adhiberi liceat.

Si vomitu urgente et nausea ventriculus non vexatur, purgantia leniora remedia usurpanda sunt, veluti oleum ricini, sales medii, &c. Solutio magnesiæ sulphatis in aqua menthæ piperitæ, cui tinctura sennæ conjungi potest, in divisis portionibus, prout conditio ventriculi acceperit, sumendæ sunt.

Si liquida omnia ventriculus respuit, submurias hydrargyri cum extracto colocynthidis composito, sæpe melius convenit ; vel enema decocti avenacei, in quo murias sodæ solutus est, cum evidente beneficio nonnunquam usurpatur.

Si irritabilitas magna ventriculi adsit, mistura salina effervescens sæpe potestatem idonea remedia retinendi præbet.

His sub initium morbi adhibitis, doloribus æger

eripitur, alvus solvenda est, et ad sanitatem sæpe statim redit.

Quum morbus progreditur, et cunctis adhibitis remediis obsistit, doloresque ægri nihil mitigantur, ad sanguinis missionem ex brachio rursus idoneum erit redire ; sed quoniam malum in senibus, vel aliis morbis vel intemperantia debilitatis occurrit, nimio sanguine detracto, corpus ita debilitare possumus, ut vires amissas nunquam recuperare valeat ; itaque commodius est, in iis exemplis, sanguinem per hirudines, vel cucurbitulas cruentas, abdominis parti dolenti applicandas, detrahere.

Per totum hujus morbi cursum, cathartica subinde continuanda, quoties opus fuerit, ad alvum laxandam ; et quum alvus adeo adstricta pertinaciter remansit, ut omnibus ad solutionem efficiendam obstiterit, enemata leniora, veluti aqua calida, vel murias sodæ decocto avenaceo solutus, et olei pauxillo admixto, vel saponis in aqua calida solutio, ad stercora indurata solvenda, et dejectiones movendas, haud parum profecerunt.

Alvum laxam tenere, et ad dolores spasmosque

mitigandos, enemata calida et lenia, cum laxantibus remediis adjectis, nimirum infusionibus sennæ foliorum, vel tinctura jalapæ, oleum ricini, et multis similibus, subinde infundi debent.

In hujus morbi curatione, tabacum a nonnullis multum laudatum est; sed de hujus medicamenti usu, variæ sunt opiniones medicorum. Nonnulli, quum omnia supradicta remedia, sine optato effectu, administrata sunt, et morbus ad sex septemve dies sine signorum mitigatione perstiterit, fumum vel infusum per anum indere suadent; sed infusum melius accommodatum est, quia quam fumus, melius temperari potest, et sub hac forma medicamentum sæpissime usurpatur: Ex tabaci foliorum scrupulo, et aquæ ferventis unciis sex, cui, secundum Doctorem Pemberton, extractum colocynthidis compositum bene adjiciemus, enema constat, atque post sex septemve horas iterandum est, prout symptomata urgentia postulent. Sed si magna irritabilitas ventriculum urget, non adhibere possumus; nam pluribus in exemplis, nausea et vomitu augendis, intendit potius quam mitigat infelicem

conditionem ægri; et quum vires ejus multum debilitatæ fuerint, remedium anceps periculosumque erit, et nunquam temere experiri liceat.

Opium quoque sæpe exitu felici in hoc morbo curando excipitur, ubi mobilitas magna ventriculi instat, et vomitus vehementer vexat, in plenis dosibus cum submuriate hydrargyri conjunctum. Sed sedulo cavendum est, ut hanc medendi rationem sequantur quædam ex supradictis remediis, donec alvus soluta sit; quem effectum promovere videtur viribus antispasmodicis suis.

Talis autem hujus medicamenti usus a plurimis medicis multum reprobatur; imo, antequam constipatio remediis catharticis cæterisque amoveatur, opium obviam ire consilio quod efficere sibi medicus proponit, et actionem arteriarum idem augere, potiusquam compescere putant.

Quocunque utique tempore hujus morbi opium datur, semper cum quibusdam purgantibus remediis conjunctum usurpare jubent.

Nihilominus, sine ulla conjunctione purgantium in plenis dosibus, opium a medicis primum forte

artis suæ locum tenentibus, cum evidente beneficio pluribus in exemplis administratur; et non solum vomitum et nauseam mitigat, sed spasmos vasorum amovendo alvum sua sponte moveri cogit, et sic resolutionem sanitatemque promovet.

Per totum morbi decursum regimen antiphlogisticum observare debet Enteriticus. Ad vires suas sustinendas, tenuis et parca diæta facillime valet; nam multus victus, si ægro potestas erat, dum constipatio perstat, irritabilitatem augeret, et sic omnia symptomata intensiora redderet; et inflammatione superata, quam maxime præcavendum est, ne æger se incaute causis excitantibus objiciat, et dum convalescit, ne recidat summopere advertendum est, quoniam partes affectæ debiles valdeque irritabiles aliquamdiu perstant, et hic de quo agitur morbus præ omnibus ex levissimis causis excitantibus admotis recidere potest. Itaque, nihil nisi victus lenis, tenuis et concoctu facilis, ex frugibus confectus, ægro permitti debet. Ab omnibus meracioribus liquoribus abstinendum est; et ne fæcum in intestinis aliqua accumulatio fiat, ido-

neum erit leniter purgans subinde administrare. A frigore, vel subita mutatione cœli, quam maxime homo caveat. Indusium laneum cuti proximum convalescens induere debet.

FINIS.